



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An de sacramento Corporis sui Christus agat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

QVÆSTIO I.

An de Sacramento corporis sui Christus agat ?

§.1. **L**atini codices semel duntaxat habent *dabo*, Græci reperunt, etiam de carne, *in dabo* quam dabo. Ita etiam Augustinus, Chrysostomus, Cyprianus, seu auctor de oratione Dominicâ. Græci codices alii *ἀφ' ἐμοῦ*, alii *ἐκ ἐμοῦ*. Syriaca versio sic legit: *Et panis iste quem ego dabo corpus meum ille, quod pro mundi vitâ dans ego.* Quo loco tria sunt notanda. Primum carnem in Syro vocari *ܩܪܘܢܐ* *Pagri*, quod à *ܩܪܘܢܐ* quod est, *corruptio*, derivatur, proprièq; cadauer significat, hic corpus viuum significat, & verbis sequentibus eodem vitur verbo, quod caro viua comedi non solet, sed immolata in cibum cedat. Secundum est, *pro mundi vitâ*: Syriacè *ܩܪܘܢܐ* *seculi*, vt cõstet pro omnibus Christum mortuum. Tertium, secundo loco in Syro est præsens *ܩܪܘܢܐ* dans, quod etiam in cibum detur pro mundi vitâ, non modo in cruce imoletur.

§.2. An de spiritali manducatione, an vero de mysticâ seu sacramentali agatur, iam multû, diuq; disputatur. Patrum & Catholicorum exceptis paucissimis sententia est, de Sacramento corporis agi, & sanguinis. Hæretici pleriq; de solâ spiritali locum interpretantur. Quamuis eorum multi interdum de Sacramento accipiant. Calviniani quidem metaphorice accipiunt, vt veritatem Eucharistiæ negent. Lutherani ne transsubstantiationem admittere cogantur. Multi copiose hac de re egerunt, doctissimè Sanderus. Sed de catholicis postea dicam: nunc de sententiis hæreticorum dicendum est. Primo quidem virgere solebât verba illa: *Caro non potest quicquam*, vt veritatem Sacramenti negarent, at postea sibi hoc telum inutile reddunt, si enim de verâ carne Christi, & Sacramento non agitur, non debent etiam illa verba: *Caro non potest quicquam*, de Sacramenti symbolis intelligi. Zuinglius autem l. de vera & falsa religione, pag. 224. 230. 231. & sequentibus, rationes adfert, cur nihil putet de mysterio dici. Eodem modo Oecolampadius super Ioannem qui & Bohemos increpat, quod pro vitu vtriusq; speciei hæc verba parum appositè usurpent. Non agi de cœnâ probat: nondum enim instituta. Id Beza contra Heshusium, Pincierus in Antidoto fruololum iudicant, *Ne esset is. demonstratio*: inquit Beza, quasi de cœnâ suo tempore instituenda iam tum differere Christus Ioannis 6. non potuerit. Eadem Calvinus, aliiq; Sed plures tamen de Sacramento agi fatentur. Ipse Oecolampadius lib. de verbis Domini. Musculus in locis comm. Ioan. Lauat herus in historia Sacram. p. 37. Liberinus Abdias ficto nomine in Syntagmate fol. 53. Inprimis Wilhelmus Kleinwitzerius, vt eum Lutherani appellant, hoc est, paræ prudentiæ, contra Heshusium, ait se locum contra Lutheranos tanquam Aiæ Clypeum obiiere. Totam enim antiquitatem verba institutionis ex c. 6. Ioannis exposuisse. Tigurini pag. 9. & 11. contra testamentum Brentii, *caro non potest quicquam de Sacramento interpretantur, itaq; cœtera eodem modo intelligere oportet.* Idem docent expositionem verbo cœnæ Domini ex c. 6. Ioannis sumendam esse p. 12. & veterem atq; orthodoxam Ecclesiam ita sentire. Myconius p. 150. in Marcum. dicit Christum in cœnæ suæ institutione clarè repetere, quod Ioannis 6. dixerat. Postquam, inquit, Christus dicit, carnem suam esse verè cibum, & sanguinem suum esse verè potum, & hoc loco clarè idem repetat, &c. quid est quod simplicitate verborum Domini non ita accipimus, vt pro fidei dicamus natura, Christus dixit: ergo est: &c. Bulling. lib. 3. in Ioan. in c. 6. grauiter exagitat eos qui docent agi de Sacramento.

Idem tamen Decade 5. de cœna aliud sentit. Sed tamen priorem sententiam sæpius inculcat vt contra Brentium, p. 83. 86. & admonitione ad ministros. Calvinus in institut. & commentar. in Ioan. negat, libello contra Heshusium asserit. Martyr disputat. Oxoniensi tantum spiritalem manducationem esse affirmat. Beza in creophagiâ eandem esse carnem, & eundem sanguinem Ioan. 6. & in cœna. Magis tamen contrariam sententiam probat. Ipse contra Westphalum probat agi de cœna. fol. 51. & 55. Nos affirmamus, & in illâ concione Christi. Ioan. 6. *Et in verbis cœna, nomen carnis sue corporis, itemque sanguinis propriè usurari.* Eodem modo Ioannes Leonardus. Calviniani in confessione orthodoxâ anni 66. de manducatione spiritali in cœna, & extra cœnam interpretantur. Aterius ferm. 3. de cœna ait Christum hic manducationem corporis sui realem expresse negare. Cureus Calvinista omnino de cœna agi vult: Ergo patet, hoc quod maximi momenti est, vnuersum consistere in concione cap. 6. Ioannis. Lambertus Danæus lib. contra Selneccerum. *Christum ait, suorum verborum optimum interpretem Ioan 6. exposuisse, quomodo verba cœna de carnis sue manducatione intelligi velint.* & p. 101. & 108. de cœna agere docet. Sed oblitus sui in Antostandro negat. Gualterus p. 126. in Marcum affirmat.

Petrus martyr omnino sententiæ suæ dubius, Hoc caput Ioannis ait, non habendum pro fonte veritatis, sed pro card. ne erroris. 3. parte. Lutherani eodem modo diuisi sunt. Centuriatores Magdeburgenses luculentum hinc peti testimonium contra Calvinistas existimant centur. 1. de cœna Domini. Ab illis verbis porro incipiunt. *Nisi manducaueritis carnem meam*, Hæc de aduersariis dicenda fuerunt, quod non desint, qui eos conuenire in ea sententia arbitrentur. Ex nostris sunt, Nicol. de Cusa, Thom. Waldens. Io. Gerson, Caietanus, Tapperus, Hessel. Ianfenius, qui spiritaliter interpretati, docti quidem illi viri, sed non satis in lectione Patrum exercitati, aut suorum magistrorum, vt Hessel. opinioni obnoxii: minus de Turricemata, Gabriele mirum, nondum erant illæ quæstiones agitatae, & ipsi vetustatis haud satis periti fuerunt. Videntur autem aliqui, & prædium quod Catholicis inde est, demittere voluisse, & se molestiis obiectiõnum liberare.

§ 3. Postremus inter hæreticos quinq; libros de contouersia Eucharistica scripsit Pareus, in qua omnes & orthodoxos & hæreticos censet: Non autem negat hoc loco de Eucharistia tractari. l. 1. c. 66.

Si hic est promissio gratiæ Sacramentum præcedens, ergo hic Sacramentum promittitur. nam promissio Sacramenti est, Et l. 3. c. 3. clari⁹ omnino, p. 170.

Sufficit hoc omnibus aduersariis referendis cum res magni precii, admirabiles, nouæ, inusitatae, sunt dandæ solent eas Prophetæ prænunciare, figuræ mōstrare, Deus ipse pacisci, ita hic factum esse confirmant Chrysosto. & Cyril. in huius loci expositione.

Toties enim repetit, & inculcat, ne putarent, inquit Chrysostomus, *enigma, aut parabolam esse.* Imò causam reddit, cur nunc de Eucharistiæ mysterio concionetur. Merito, inquit, hoc loco dubitare quispiam posset, cur hæc nunc Christus loqueretur, cum nihil proficeret nihil edificaret, imò esset edificatiõ nocumento? Ecce enim, inquit, multi ex discipulis suis retro abierunt, & : *Durus est hic sermo, qui potest eum audire?* Erans ig rur hæc solis discipulis communicanda, & Matthæus priuatim cum ipsis loqui testatur. Quid ad hoc dicemus? *Quanam verborum horu vitilitas? Magna quidem, & necessaria.* Cum enim in petendo cibo instarent, & patribus suis datum memorarent, & manna tanquam magnum quiddam laudarent, omnia illa figuræ & vmbra fuisse, rerum autem veritatem presentem ostendit r.

pū dicit

Sententia Lutheranorum.

Chryso. Sententia.

ideo spiritus tibi meminit. Sed erat, inquit, dicendum: patres vestri manduauerunt manna in deserto, ego autem vobis panem praebeui. Sed magna sanè differentia: minus enim hoc quam illud visum esset. Manna mira vltimum extulisset, suum de panibus depr. s. s. Cum ergo de cælo cibum quererent, ideo frequenter de cælo se descensisse testatur. Quod si quis peroraretur, cur mysteriorum sermonem adduxerit? Respondendum, quod horum maximè tempus erat nunc. O scurios enim dictum semper auditorem erigit, & attentiores reddit. Non ergo perturbari debemus, sed interrogare & querere, sed abierunt. Quod si prophetam cum arbitrabantur, credere eius verbis oportebat. Ita quæ stultitia sua, non sermones Christi obscuritate perturbabantur: tu autem considera, quomodo eos ad se paulatim abierunt. Non se non patrem dare dicit, & panem quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Sed aliena quaedam doctrina erat inquit, & diuersa. Atque Ioannes superius hoc significat, Agnum ipsum appellans, sed non intellexerunt.

§. 4. Quin ratio nos ipsa docet, & scripturæ intelligendæ regula. Eam nempe propriè intelligendam cum inde nihil falsum, impium, aut contra aliam scripturam deducitur. Tertul. de carne Christi. Augustinus de doctrin. Christi. c. 10. Hic verò toties inculcat, corpus, carnem, sanguinem, cibum, potum, manducare, bibere: nec sine scandalo Iudæorum & discipulorum recedentium, quos videbat de reali manducatione intelligere, quibus cum posset vno occurrere verbo, si metaphoricè le locutum diceret, & edere non esse aliud, quam in se credere. Cur ergo cum in tantâ conturbatione auditorum de metaphora nihil Dominus dixerit, nunc demum heretici sensum expressum abdicant, suum glossema substituant. Nam corpus & sanguis non modo symbolum esse adiunt, sed nihil de cœnâ tractari. Quorsum tam clarè loquitur Spiritus sanctus, si ad hominum opiniones, & argutias æternæ maiestatis promissa detorqueere fas est? Carnis sanè & sanguinis nomina propriè hic accipienda sunt, vt Calvin. l. 4. instit. c. 17. §. 7. negare non audeat, nec hoc in loco B. z. Hic igitur de Eucharistia agitur, & nusquam tam apertè sicut hic promittitur, sed neque Ioannes de illâ alio in loco agit.

§. 5. Cum Iudæos hac de re murmurare audiret. Iterum magnâ asseueratione eadem repetit, non habituros vitam, nisi carnem & sanguinem comedant, ac bibant. Quemadmodum autem Christus viuere propter patrem, ita nos propter Christum, ille non viuere fide propter patrem, sed cum substantiâ patris vnus, & humanitate iunctus, ita nec nos solâ fide, sed corporali presentia. Idem ostendit Christi ascensio, vbi erat prius, quæ vera, realis, mira erat, ex eâ probat hanc pactionem spiritalem; nam vt ex eâ doceret fidem necessariam esse, nihil opus erat. Verus cibus erat manna, cui hic panis comparari non potest, nisi etiam verus cibus sit. Ideo Chrysostom. verum cibum esse dicit, vt sit sine parabola, si sine parabola comedatur, id non sit solâ fide: fide enim manducatio non est nisi parabolica. Quod si solius fidei illa manducatio est, nihil hic noui, nihil mysterii inuenietur, ab initio mundi omnes fide in Christum saluati sunt, quicunq; vitam æternam adiecit, qui manna in deserto comederunt fideles, & pii, Christum illi per fidem manducauit. Quid igitur Christo in mentem veniret, vt cum nihil aliud diceret, quam quod omnibus semper necessarium fuit, vt in mediatorum crederent, id nunc edendi & bibendi metaphora, seu potius ænigmate obscurissimo proponeret, quo omnes turbaret, nec tamen sese explicaret? Quemadmodum igitur cum Dominus ait. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu s. veram aquam, ita hic veram carnem & sanguinem intelligit.

§. 6. Initium & causa contrariæ sententiæ, à Ma-

nichæis, & qui illos tempore antecesserunt ortum est. Nam alii veritatem corporis, alii Sacramenta negabant; itaque Zuingliani & Anabaptistæ Marcionitarum, & Manichæorum proluuiis eodem modo in rebus, & verbis facis protuerunt; veteres veritatem carnis negabant, phantasmate in locum veri hominis substituto, nostri in sacramento idem sibi licere volunt, Christus ait panem quem daturus sit esse carnem suam, quam daturus sit pro mundi vitâ. Non imago, non phantasma, non symbolum datum est pro mundi vitâ, sed ipse Christus, carne in cruce suffixa. Sic enim Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret, non similitudinem, aut imaginem vnigeniti. Figuram olim tempus erat, veritati tropus, luci cessit umbra. Dilectio Dei in doctrina data, in carne permixta, in manna defuso ostensa est, nunc se supereminens benignitas in vnigenita data carne & sanguine reuelauit.

§. 7. Si veteres audiamus, iam peracta controuersia fuerit, vt iam ex ipsis hereticis demonstrari, magni autem eorum nobis consensus esse debet.

Tertul. l. 4. aduersus Marcionem, & l. de pudicitia. Arg. ita inde de opimitate dominici corporis vesiscitur, vt & anima de Deo signetur.

Auctor. de orat. dominica ita hunc locum exponit, vt omnem dubitationem tollat.

Tantum vero abest, vt hunc locum non intellexerit de Sacramento, vt etiam petitionem illam orationis dominicæ: panem nostrum quotidianum da nobis hodie: eo reuocet: quæ vetus fuit interpretatio nota etiam Tertulliano.

Heronymus lib. 3. contra Pelagianos, & ad Hedibiam, idem confirmat.

August. tract. 26. in Ioannem. Hunc panem significauit manna, & c. Et norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi, non negant esse, & c.

Et tractatu 27. Huius rei Sacramentum, id est vnitate corporis, & sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis interualis dierum in Domini amensæ preparatur, & de mensa Domini sumitur, aliquibus ad vitam, aliquibus ad exitum, Et iterum tract. 26. Cum dixisset panem celsis spirititaliter manducate, innocens iam ad altare appropinquat: addit. Prec. ta & sunt quotidiana, vel non sunt mortifica, antequam ad altare accedatis: attendite quid dicatis.

Idem de doctrina Christiana c. 8. Epistol. ad Probam. & l. 2. de Sermone Domini in monte. c. 12. & Ambr. lib. 4. de Sacramentis c. vltim. Et Augustinus de peccatorum meritis & remissione, cap. 2. & 20. & 24.

Origenes hom. 16. in Numeros. Athanasius dial. 5. de sancta Trinitate, Proprium corpus hic indicari fidenter asserit, inde propriam etiam animam esse Christo demonstrat.

Basilium in moral. reg. 2. cap. 1. & lib. 4. aduersus Eunomium, dum exponit verba, quibus Christus se viuere propter patrem asserit. Probat, sic nos propter ipsum viuere. Monet etiam doctrinam veram non omittebam propter eos, qui scandalizantur.

Et in moral. reg. 8. c. 1. hunc articulum inter eos refert, qui difficilimè intelliguntur.

Nysenus orat. 10. contra Eunomium. & hom. 8. in Ecclesiasten.

Chryl. hom. 45. in Ioan. Cyrillus Alexandrin. in Ioan. l. 4. Cyrillus Ierosolymit. Catecheli 4. & 5. Concilium Ephesinum Epistol. ad Nestorium. Damascen. l. 4. de orthodoxa fide. Theodoretus l. 4. historiar. Theophylactus in hunc locum. Helychius in 6. Leuit. c. 24.

Synop

Scriptura
pro re
intelligenda

ADAMI
112
+ Euangeli
CIV
111

Non est so
lus fidei
manduca
tio

Synodus Nicæna 2. actione 6.
Fulbertus Epistola ad Theodahatum.
Aliæ rationes ex textu sequente adducuntur.

QVÆSTIO II.

Quæ obiciant aduersarii?

§. 1. Cibum illum negant vocari Eucharistiam, aiunt esse fidem. v. 27. Hoc est opus Dei, vt cre-

dati.

Caluinus in cœnâ nihil esse aliud asserit, quam oblationem gratiæ, & c. 6. promissionem iustificationis l. 4. instit. c. 17. §. 24.

Respondeo. Cyrillus & Chrysostomus, etiam illum locum de Sacramento interpretatos, non tamen eam nos sequi expositionem ad soluenda cauilla hæreticorum necesse est. Cum ex ipso Caluino eos confutare possimus. Ille enim l. 4. c. 17. §. 5. manducatione esse cum fidei appellat. Christus primo generatim cōmotos panum miraculo, ad fidem hortatur: deinde se misera ait, vt animas pascat, cum manna, aut corporis cibum virgerent. Tandē mysterium Eucharistiæ exponit. Et hoc Caluinus licet de Eucharistiâ neget agi, tamen ad eam pertinere concedit. Supra modum autem ridicula glossa est. Comedite, nisi comedieritis, hoc est, nisi speciali fiducia vos iustos esse vobis persuaseritis, etiam ante penitentiam. Itaque manducate est, se electum credere, dari corpus Christi, est dicere: eos electos esse. Nec enim aliud fingi potest. Si enim edere, est credere se electum, non potest esse aliud; dare cibum, quam testari illos electos esse. Itaque dare corpus & sanguinem, est testari illos esse electos, non igitur proprie corpus aut sanguis accipitur.

§. 2. Argumentum alterum est Victorini hominis inediti, & Schülffelbergii articulo 35. Theologiæ Caluinistarum. Victorinus ita disputat de consensu anno 47. Concio de manducandâ Christi carne, & bibendo sanguine, anno secundo, vel tertio habita est, at in vltimâ cœnâ est instituta Eucharistia, non ergo tanto ante de eâ agi potuit.

Respondeo. Futile esse argumentum ex tempore sumptum. Nam siue secundo anno siue tertio Christi conicio habita sit, nihil impedit quo minus de Eucharistiâ, non institutâ, sed insitendâ agar. Promissio præcessit, & prædictio, res vltima vitæ nocte præstitâ est. De passione, resurrectione, dando Spiritu sancto discipulos sæpe monuit, cur non etiam de tanto mysterio facere mentionem antequam institueretur liceret, vt eum fieri crederent? Legem in Ecclesiâ esse de sumendâ Eucharistiâ nemo dubitat. At alio loco nunquam, nisi hoc solum inuenitur. Deinde fatetur Schülffelbergius argumentum Victorini etiam à Caluinistis solum esse.

§. 3. Quod Augustino obiciunt, quasi aliud senserit, conscientiam tepugnante, veritati contradicunt. Toto enim tractatu Augustinus de Sacramento corporis & sanguinis loquitur. Nam & nos, inquit, hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur? Virget enim vt ita manducant, vt corde manducant, vt intus, non foris. Id qui non facit, tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumit accedere ad Christi Sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est. Verba Augustini quæ ipsiis saure sibi persuadent sunt ista. Hoc est ergo manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes, & ventrem. Crede & manducasti.

Quibus ille verbis non tollit veram manducationem, quam toties commendat, sed ad credendum

negat illam necessariam esse, Christum enim vocat cibum, & eius possessionem dicit manducationem. Verum ex toto contextu Augustini apparet locutionem esse comparatiuam: qualis illa: misericordiam volo, & non sacrificium. Nam plurius est manducatio spiritalis, quæ corde, quam carnalis, quæ ore fit. Quam multi, inquit, de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur. Vnde dicit apostolus: Iudicium sibi manducat, & bibit. Et deinceps: quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non ad visibile Sacramentum. Et: Non sunt fideles Christi corpus, si Christi corpus non desinat esse. Et: In corpore vt viuificetur. Et: Qui eam non sumpserit non viuet: nec tamen qui eam sumpserit, viuet: nempe escam Patrum. De Domini corpore dicit ita non esse, & interpretatur societatem sanctorum, sed ita vt Eucharistiam dicat eius rei Sacramentum. Huius rei sacramentum, inquit, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Denique addit: Eum qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus non manducare spiritaliter carnem eius, nec bibere sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis.

Christus denique cum nōdum de suo corpore quicquam dixisset, exponit quid sit operari cibum, qui nō perit, nam quærentibus cibum, dentem & ventrem parantibus loquebatur, postea intervallo de suo corpore loqui incipit, cum illi manna obicerent. Sic August. interpretatur. Crede & manducasti cibum, qui non perit, non autem crede, & credendo duntaxat manducasti corpus Dominicum. Adde quod magna pars Caluinistarum de Sacramento agi toto capite pernegant, si id verum est, non debent ex eo agere contra Sacramentum Domini. Verba August. sunt. Hoc est ergo manducate cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam.

Non ergo Augustinus exponit, quid sit manducare cibum Dominicæ carnis, sed cibum operati qui nō perit, quod facere etiam possunt, qui Sacramenta nulla sumpserunt. Imò Augustinus illos cibos aperitissime distinguit lib. 2. c. 12. serm. in monte. Aut enim per panem intelligimus res ad vitam necessarias, aut Sacramentum corporis Christi, aut alimentum spirituale, de quo Christus dixit: operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Hunc cibum eodem loco de doctrinâ cœlesti, & mandatis Dei interpretatur, quæ credenda & facienda sunt. Nulla igitur est species, nullus color vanæ ratiocinationis. Augustinus operari cibum qui non perit esse

Ratio Caluiniæ mori cauit illum cibum, qui non perit, etsi dente non atteratur, ventre non excipiat: non igitur verè & realiter menti.

manducatur corpus & sanguis Domini, sed fide tantum. Non magis hoc inde sequitur, quam veteres Patres non manducasse manna, quia multi eorum crediderunt, & credendo operati sunt cibum, qui non perit. Quin illa argutia, etiam symbola quæ sola illis superfunt, de medio tollerent. Imò Christus ne quidem ab operando cibo, qui perit, eos deterret, sed tantummodo docet, primam animæ habendam curam, deinde corporis: damnantur enim qui ignauæ & dissipatæ inde prætextum quærunt. Si ergo comparatio illa non tollit moderatam tuendam vitæ, & familiæ sollicitudinem, cur veteret Dominicum corpus & sanguinem sumere? Augustini verò scopus est, excitare suos vt dignè corpus & sanguinem Christi sumant, in sequentibus. At in his verbis tantum exponit, quid sit operari cibum, qui non perit.

VER.

Cibus qui non perit.

Ratio Caluiniæ mori cauit illum cibum, qui non perit, etsi dente non atteratur, ventre non excipiat: non igitur verè & realiter menti.